

14.
DISSERTATIO INAUGURALIS CHYMICO-MEDICA,
DE

FERRO

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDE-
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequenda

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS D
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

horis locoque consuetis

ANNO MDCCXXXVIII. D. OCTOBR.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subijciet

AUCTOR

JOH. CHRISTOPHORUS *Sind-Eisen*
FREYBERGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



B. C. D.

§. I.



S essentialem ferri characterem ♂, qui Magis Chymicis, antiquissimis & castissimis rerum physico - chymicarum sacerdotibus debetur, quemve vulgatiorem chemia pro foetu, vel usu fictricis ingenii tantum habet, explicare datum esset, certe ex vero *Sind-Eisen* me omnium punctis hoc etiam tempore salutari posse crediderim, imo, fatidicam quasi nactus essem sapientiam, si hæc explicare liceat: hinc mitto hæc beatis harum rerum possessoribus, transiturus ad ea, quibus tractandis pro ingenii mediocritate aliquo modo sum sufficiens.

§. II.

Amplissimus hujus materiae campus est, angustum harum plagellarum spatium haut capiens; quare tantum omnia in paucissima conferre cogor.

§. III.

Historiam ferri condentibus materiam suppeditant tempora jamjam ante-diluviana. Tubalcain enim, verus anti-

antiquissimorum Vulcanus, ferri tractandi ita gnarus, ut utensilia inde confecerit.

§. IV.

Quis neget, de *Vulcano fabula*, si veritatis fabulae involucro larvatae, fabulae sunt, *Vulcani templum, imagines*, &c. testes antiquitatis hujus metalli esse.

§. V.

Missa hujus metalli antiquitate, miramur *largissimum* ipsius *proventum*, & exinde elucentem Summis hujus metalli Effectoris erga genus humanum *bonitatem & clementiam*. Etenim non tantum praegnantissimis venis ubique terrarum, praesertim in Germania, Suecia, Norvegia, Polonia &c. sparsum est, sed etiam tanta effoditur copia, ut numerosissima exinde conficienda utensilia, modo perquam vario, humano usui, & utili, & necessario serviant.

§. VI.

Antequam ad alia pedem moveo, quaestiuncula physico-metallurgico-critica poni possit: Num ferrum, de aliis metallis hic non sermo esto, tanta copia, quanta effoditur, a summo Effectore statim *ab initio creatum sit*, aut *successivis auctibus crescat*? Divortium hic sententiarum est. Equidem, salvo aliorum iudicio, priorem amplector sententiam. Provocant quidem posterioris sententiae statores ad principiorum metallorum pluralitatem; sed cum metalla corpora sint inorganica, argumento secus statuentium victae manus haud ministrabuntur. Taceo alia. Videtis BECCHERI *Suppl. in Phys. subterr. c. 1. p. 572. seq.*

§. VII.

Accedo ad ferri genesis, principia constitutiva, individas proprietates, artificiosam illius productionem, aliave.

§. VIII.

☉ ☉ ☉ §. VIII. ☉ ☉ ☉
 Ferrum invenitur in ferrifodinis vel *purum putum*,
 præsolidum, perfectum, completum, quod termino tech-
 nico metallicarum nostrorum audit *gediegen Eisen*, &
 quidem sub granorum forma; sed rara satis est crudaria
 ferri vena; ut plurimum minera ferri lutulentum quod-
 dam, & pulverulentum crama est; vel sæpe martialis sub-
 stantia reperiunda in *saxis* vel semi-lutosis, vel veluti calci-
 formibus, *spätigten Gestein*; Imo, observationibus metal-
 lico-practicis constat, quod *terra rubri coloris* faciem fe-
 rentes, aut in illum facilis *ἐνχειρέσεως* ope convertibiles,
 Martem in sinu recondant, aut ferriferæ profapia existant.

§. IX.

Desudarunt ab antiquissimis temporibus Physici,
 Chymici, Medici, Philosophi in perferutanda *metallo-
 rum genesi*. Arduum negotium, quod humeris suis fe-
 rendo impar judicarunt. Variæ variorum sententiæ. Quod
 vero ante BECCHERUM, ipso B. STAHLIO id ipsum con-
 fitente, nemo quicquam solidi de mixtione rerum sublu-
 narium, earumque principiis tradiderit, nemo facile est,
 qui id inficias ibit. Multi ipsum hæctenus secuti sunt. Con-
 stituit autem BECCHERUS metallorum principia *aquam*
 & *terram*; hæc terra trina est, *prima, secunda, tertia*; si-
 ve prima est lapidea, seu salino-lapidosa, seu vitrescibilis;
 secunda est terra pinguis, sulphureo-pinguis, seu inflam-
 mabilis; quam B. STAHLIUS τὸ φλογιστὸν, ignei motus sub-
 jectum, mole certe exilissimum, & pondere ne quidem sen-
 sibile, numero vero particularum forte ineffabili, & subti-
 litate vix conceptibile, vocare adsolet; tertia est terra flui-
 da, sive metallico-mercurialis. Sive: *Est sal, sulphur, &*

mercurius. Hac terrarum trinitate evicta, afferit, illarum proportionato coalitu enasci metalla. Ubi tamen notandum, quod Autor non crudos nostros sales, aut sulphur nostrum crudum, aut Mercurium currentem intelligat, sed ens salium, sulphuris & mercurii. Priora enim decomposita sunt; & cum ens salium &c. principium metallorum sit, contra simplicitatem principii esset, decompositum esse.

§. X.

Sic etiam eadem principia ferrum, ceu metallum, ingrediuntur. *Ferrum enim constat ex multo impuro sale, plurimo crudo, terreftri, & indigesto sulphure, & pauco Mercurio.*

§. XI.

Terram *primam* vitrescentem ferrum ingredi, probatur ex ferri vitrescentia; *Φλογιστή* enim eliso, in pulverem vitrescentem fatiscit.

§. XII.

Sulphur martem ingredi, nemo est, qui addubitet. Terra ipsius sulphuris tam sitiens, ut sulphureo-pingues portiunculas imbibat, quæ sub arida forma visui patulæ sæpe sunt; præsertim solaris illa Martis minera, *Hassiac* dicta, sub facie vere minerali, *erht und kiesicht*, tam sulphure dives, ut *Consiliarius intimus Illustr. HOFFMANUS* Mæcenas eximius, exinde id ipsum purum eliquaverit. *Vid. ipseus Opusc. Med. Chym.*

§. XIII.

Tertium ferri principium est *mercuriale*, nempe aqua metallica, quæ metalleitatem ferro largitur.

§. XIV.

§. XIV.

Hinc ferri principiis prævisis quamplurima sequuntur alia in eo observanda *Φαινόμενα*.

§. XV.

Cum ferrum multum de terræ rubræ stipticæ limosæ portione participet, fit, illud, *Φλογιστόν*, & mercuriali parte exustis, & fugatis, tantam contrahere durtiem in fluxu, fixitatem, in igne resistantiam. Cumve terrarum prædictarum mixtio diversa, dum alia in hoc vel illo mixto deest, aut exuperat, aut omnibus in mixto præsentibus, aut æquali, aut inæquali proportione mixtæ; hinc sequitur ferri, præsentibus in illo omnibus tribus terris æqualiter mistis, *malleabilitas*. Porro, quod ferri fusionem, terra secunda in eo excedente, *ignitio* præcedat; quod *liquabile* fit, quod fit per modum rarefactionis, nam ob inclusum rarefactum aera, & corpuscula ignea, fluidum redditur; sive secundum B. STAHLIUM, fluiditatis igneæ actum absolvit non tam æstus ignis, ut vulgo putatur, sed potius materia illa, quam *Φλογιστόν* appellamus, & quæ ignem ipsum suscipit, seu intensissimo illo motu agitata, ignem constituit, & alia. Imo constat, quod ferrum ipsum a ferro bonitate multum discrepet, & unum alterum puritate ac ductilitate antecellat. Prostant enim lapides ferriferi, qui quidem, uti B. STAHLIUS annotat, non parum ferri ferunt, sed friabilis & intractabilis, ut non modo malleum fabrillem eludat, sed & corpora exinde fusa minoris usus sint.

§. XVI.

Hinc definitur ferrum a Philosophis Chymicis sequentem in modum: *Est metallum durissimum, ignibile, diffi-*

*difficiliter tamen liquabile, malleabile, sonorum quodammo-
do, colorem diversum præ se ferens, facillime rubiginem con-
trahens, magneti singulari familiaritate junctum, & medi-
ante hoc ad alterum terræ polum converti aptum.*

§. XVII.

Ubi Juvat nunc, huic tractationi inferere artificiosam fer-
ri productionem *Beccheriano-Stablianam*, cujus parandi
modus, secundum ipsa *BECCHERI* verba sequens est: *Su-
me vulgarem argillam, forma globulos oleo lini in modum
sphaularum scolopetorum, destilla eos ex vasculo vitreo col-
lo retorto per ignem vehementem, & videbis globulos nigro-
leucophæos, quos ex dicto vasculo desume, desumptos contere,
cribro, & ablue, & inuenies grave nigrum sedimentum re-
lictum, ex quo mediante magnete ferrum, multum auri in se
continens, extrahere licet. Vid. Suppl. Terr. Phys. subterr.
p. 874. & prolixius in Suppl. Prim. in Phys. subterr. c. 1.
p. 584. seq.* Possibilitatem hujus experimenti evincit Au-
tor, demonstrando, Mercurium, non vulgarem, sed ens
Mercurii latere in oleo lini, & sulphur, non commune,
sed ens sulphuris, in Marte, quæ metalleitatem dant. Prin-
cipium ferrificationis in hoc experimento utrumque & o-
leum lini, & limum esse demonstrat, *vid. Suppl. I. in Phys.
subterr. c. 3. p. 596.* Cui experimento propriam experien-
tiam *B. STAHLIUS Opusc. Phys. Chym. Med. Mens. Sept.
c. IV. p. 375. sq.* cum rationum explicatione subjungit, ob
plagellarum nostrarum angustiam concise repetendam.
Nimirum secundum anatomiam ferri glebæ ferriferæ sunt
terra rubella stiptica; artificialis ferri terra itidem est ru-
bella, plus minus stiptica, cujus ubertas & per omnem
mundum diffusio tanta est, ut in omnibus arvis, agris, cam-
pis,

pis, pratis, hortis, ubi nigricans subpinguis terra, occur-
rat. Deinde ferri nativi partem essentialem constituit *Φλο-
γισόν*, sive substantiam inflammabilem; & *hanc* in produ-
ctione ferri artificiose facti subministrat *oleum lini*, & *terra*
intimius coadunata ferrum formatur. Ubi tamen B. AU-
TORIS *crisis l. c. c. 6. p. 391.* appositissime subjuncta est, dum
in rationem differentiae effectus inquirat, quid specificet
ferrum? quamobrem terra vitrescens, & *Φλογισόν* hic in
ferrum coalescant? alibi in cuprum &c. & ingenue fate-
tur, hoc altioris esse indaginis. Tandem hujus ferri arti-
ficiosi veritatem evincit, quod *Magnete trahatur*. Nunc
autem ferri prima & essentialis ac specifica qualitas est, a
Magnete trahi; nunquam enim proditum, vel observa-
tum est, magnetem aliud quid praeter ferrum, aut ferrum
aliunde quam a magnete trahi. *V. Suppl. I. in Phys. Subterr.
c. 3. p. m. 587.*

§. XVIII.

Circa ferri tractationem haud incongruum erit, *cha-
lybis* etiam mentionem injicere. Chalybs hodie maximam
partem artis filius est, & ferri vario modo tractati produ-
ctum. Chalybs vero ferri principia supponit. Evidentum
est, plus principii *Φλογισέ* inesse chalybi, quam ferro. Vul-
garis chalybis conficiendi modus est, quod *ferrum sapius*
condefactum in aqua frigidissima occissime extinguatur;
tunc partes ab igne flexiles in longe arctiores nexus adactae
ferrum parant durissimum, rigidissimum, elasticum valde,
& resiliens, i. e. chalybem; hinc sequitur, quod chalybs
nil aliud, quam *perfectius* ferrum, & ferrum nil aliud,
quam *inferior* chalybs; quod discrimen ferrum inter &
chalybem intercedens versetur non in *essentia*, sed *acci-*
B denti;

denti; quod ferrum ratione *coloris pallidius*, chalybs *sa-
zuratior*, ratione *ponderis*, ferrum *levius*, chalybs *ponde-
rosior*, ratione *consistentiæ* ferrum *porosus*, *laxius*, chalybs
durior, ferrum *ductilius*, paucis enim flexuræ reciproca-
tionibus rumpi aptum est, chalybs vero *renacior*, & quæ
sunt aliæ differentiæ. Adjicio adhuc, quod BECCHE-
RUS chalybificationem ponat non *in ignitione*, & *infrigi-
datione* ferri, sed statuit, *igne ferrum in chalybem mutari*,
ex causa, quod, cum *partes exteriores magnæ ferri massæ*
ignem patiantur fortissimum, interiores interim digerantur,
& ad maturitatem perveniant. P^{hys.} Subterr. l. i. sect. 5. c. 3.
p. m. 452.

§. XIX.

Quemadmodum vero ferrum a ferro bonitate dif-
fert, uti supra innui; ita etiam *chalybs* a *chalybe*. Cha-
lybs enim alius, referente B. STAHLIO, alium *reneritudine*
antecellit. *Syriacus* chalybs *Smalcaldicis* vulgaribus, &
Sulensibus longe præstat.

§. XX.

Interdum etiam in Chymicis *chalybis Senvogiani* in
rore quæsti mentio fit. Sed addit BOERHAAV. Chym. T. I.
P. II. p. m. 470. *Qui chalybem Senvogianum in rore quæ-
runt, nihil fere sani in scriptis Philosophorum intellexisse vi-
dentur.*

§. XXI.

Sed nefas esset, Martem tantum Vulcani, & cyclo-
pum incudi, & usibus mechanicis relinquere velle. Hi-
storiam ferri medicam lecturis clarum evader, illud, quam-
diu Chymia transmutandis tantum metallis inhiaverit, tan-
tum artis mechanicæ, & docimastico-separatoriæ subje-
ctum



Etum fuisse; Chymia vero ad medicinam applicari cœpta *Medicorum instrumenta*, quibus salutem corpori adferunt, *Martialibus productis* adauxit. Et sic *Martialia* inter illa instrumenta medicata a multis retro-annis relata sunt, & etiamnum referuntur, quæ utilissimas in morbis averruncandis præstant operas. Hinc non inutile erit, hisce de ferro lineis subjungere non tantum, varia ex eodem producta, sed & modum operandi, usum *ἐνκαυσον, ἀκαυσον*, & noxas pariturum; tunc enim simul elucescet, quo jure ferrum a BECCHERO *optimum, pessimumque vite instrumentum* vocetur.

§. XXII.

Varia in officinis prostant *Martialia*. Præcipuorum ex Systematibus chymicis meminisse sufficiat.

§. XXIII.

Primo in scenam prodeant *Croci Martis*. Communiter dividuntur in *aperitivos & adstringentes*. Modus ipsos parandi varius est. Aperitivi Martis croci parandi modus sine interventu ignis est, quando *lamina*, aut *limatura ferri aeri vel vori exponitur, ut in calcem rodatur*. Deinde fiunt vel *Marte & magdaleone sulphuris*, aut cum *limatura martis & sulphure communi*, aut *Vitriolo Martis & oleo Vitrioli*, aut *aceri destillati fortissimi*, aut *limatura chalybis & aqua forti* &c. Verbo: cum omnibus *acidis spiritibus*, vel cum *sola aqua* sæpius Marti superfusa parari possunt; pro majori vero salini additamenti abundantia, majori aperiendi virtute ex parte gaudent.

§. XXIV.

Crocus Martis cum *sulphure & nitro* præparatus, est *crocus Martis*, sive *pulvis cachecticus Zwelfferi*, quem

sic parat: *Limaturam Martis cum Nitro in condefacto crucibulo accendis; massam accensione enatam elutriat; aquam exinde prodituram a crassiori sedimento decantare jubet; pulvis deinde tenuis deciduus est quaesitum Zwelfferi.*

§. XXV.

Inter crocos Martis allegari etiam meretur *crocus Martis Antimoniatus aperitivus Stablii*, cujus parandi modum *Autor Opusc. Phys. Chym. Med. Mens. Jan. an. 1698. t. 3. p. 523.* sic describit: *Martis p. I. cum Antimonii p. II. fundo tenuiter, addita vel statim in principio, vel sub fusione octava, vel decima parte salis Tartari, aut cinerum clavellatorum depuratorum: ubi rosum liquido fuit, effundo; ito obrineo regulum cum scoria leviter scintillante, fusci coloris; hac, sive ita integra seposita, sive, & quidem commodius, frustulatim conzusa, sive aeri umbroso, humidula tempestate, sive cella exposita, dilabitur satis prompte in pulverem subnitidum. Hunc pulverem aqua frigida vel tepida multa agitatione callutriatum, ita separo, ut quidquid ejus diu aquae turbidum internatat tenuissimum, cum hac effundam, crassiore parte, sedimenti instar in fundo remanente; hoc repeto, donec quicquam bujusmodi tenerum amplius secedere recuset.*

§. XXVI.

Inter Martis praeparata non ultimum locum tuetur *Virriolum Martis*, cujus parandi modus secundum *Celeberrimos Chymicos* sequens est: *Olei Virrioli purissimi instilla guttatim in aquae purae octuplum, vas semper concutiendo; deinde in hoc mistumingere partitis vicibus ferri limari porriunculam, donec ferri injecti pars nec dissoluta in fundo vasis remanet. Liquore supernatante filtrato, gravissime*

tissime viridescence, leni igne evaporation instituitur usque ad cuticulæ apparitionem. Ponitur vas inquieto, & frigido loco; tunc brevi concresecunt corpuscula diaphana, viridescencia. Et sic post exsiccationem horum corpusculorum habebis quæsitum.

§. XXVII.

Sequitur Regulus Antimonii Martialis, sic parari solitus. Sumitur limatura Martis, (calybis) v. g. libra semis; igitur in crucibulo igne potenti; ignito Marri ingeritur sensim antimonii pulverisati prius seccati, & calefacti libra; relinquuntur simul in crucibulo latere clauso, donec penitus fluunt. Sic fluentibus, injicitur sensim virri siccissimi, bene pulverisati quarta libræ pars, ut tota massa fluat instar aquæ. Quo facto massa infunditur in conum fusorium, & frige facta in fundo exhibet regulum candidum, reguli antimonii instar. Regulus hic in pulverem redactus in crucibulo puro iterum fusioni committi potest, sic enim purior evadit. Usus internus corpori non facile conducibilis, sed inferuit parando butyro antimoniali, & inde Bezoardico minerali.

§. XXIII.

Nec Martis calces prætereundæ, alba, cinerea, rubra, quæ uno, eodemque parandi modo, diverso, & majori ignis gradu tantum adhibito, obtinentur. Parandi modus hic est: Virrioli Martis optimi v. g. semi-uncia in mortario virreo in pollinem subtilem coacta in patellam vitream ingeritur; certo deinde adhibito ignis gradu in pulverem instar farinæ album, majori ignis gradu in pulverem cineritii coloris, aucto adhuc ignis gradu in pulverem rubrum fatiscit. Calx primæ operationis, nimirum alba, calx me-

dicata est, & medicina corpori accommoda; altera minus
tuta; tertia autem, ceu insolubilis in corpore nostro, &
ob vim summe adstrictoriam, imo causticam, usu interno
prohibetur; topice autem, teste Cel. BOERHAAVIO, ad
erodenda ulcerum malignorum labia, it. in sistendis fluxi-
bus lymphatico-ferosis, sanguineis, satis utile, & efficax
remedium præbet.

§. XXIX.

Præcedente operatione socia obtinetur facili opella
oleum martis p. d. nimirum calx Martis sic parata rubra in
pollinem conversa, aeri humidulo exposita, uvescit, deli-
quescit. Diffuso enim per ignem humido solum restitat
acidum sincerum; acidum vero cælibatus hujus impatiens
humido in aere nubit, & humescit.

§. XXX.

Quod *flores Martis* attinet, cum sale ammoniaco ob-
tinentur. Modus parandi secundum Chymicos sequens
est: *Limaz ferri & salis ammoniaci florum partes anatica*
in mortario vitreo conteruntur. Miscela sic preparata in
cucurbitam vitream ingeritur; ingesta, alembico prius ap-
plicato, & commissuris obturatis, appostrove excipulo, are-
næ furno committitur, tunc desinito ignis gradu, & aucto,
tam diu continuatur, donec alembici caput incalescat, &
ipsum interior cavitas coloribus variis obducatur. Omnia
frigescant. Pulvis in alembico, ejusque rostro contentus
subtilissimus nomine florum Martis venit. Hi flores medi-
camen sunt mirifice instaurans, calefaciens, aperiens.

§. XXXI.

Sequuntur *Tinctura Martis*, & quidem *Tinctura*
Vitrioli Martis Ludovici. Recipis Vitrioli Martis p. I. cry-
stallo.

stallorum Tartari p. IV. aquæ pluviae p. XX. Miscela hæc ebulliendo cogitur in massam cineream, & fere consistentem. Hæc massa in phialam altam ingesta adfunditur Spiritus Vini, ut emineat quatuor digitos; fiat iterum ebullitio per horæ spatium; liquor supernatans ruber post frigefactionem percoletur.

§. XXXII.

Inter præparata martialia est *Tinctura Martis cum Vino Rhenano*, quæ ex præscripto Cel. BOERHAAVII sequentem in modum paratur: *Ferri communis, recentis, nullo modo rubiginosæ, subtiliter limati uncis duabus, in phiala alta chemica admisce vini rhenani generosissimi uncias viginti quatuor. In furno nostro ligneo digerantur simul calore 200. graduum, per tres, quatuorve dies, sæpe concutiendo. Dein requiescant viginti quatuor horis. Supernatans vinum nigrescens percoletur. Purum vase ætissime clauso servetur. Erit sapore atramenti, subdulcis, stiptici. Miris Cel. Auctor hocce Vinum martiale mactat laudibus, asserens, illam in ferro partem, quæ mediante hoc acido vini vegetabili solubilis, corpori humano ad instaurandam vim αἰματοποικίτην, & ad partium ἀνοσάν tollendam summam esse medicinam.*

§. XXXIII.

Mars potabilis etiam hic locum inveniatur. Sumuntur limatura martis tenuissime trita, tartari rhenani albissimi crudi partes anatica, & aquæ pluvialis filtrata tantum, quantum ad globulos exinde formandos sufficit; hi globuli in sole exsiccati, & in clibano una cum panibus excocti de novo in pulverem conteruntur; ex hoc pulvere cum sufficiens aquæ pluvialis commixto globuli ut antea formantur, iterum.



iterumque in clibano excoquantur; quæ operatio reperitur tam diu, donec martem in quovis liquore solubilem experimur. Vid. Collectan. Chym. Leydens. cap. CCXLIV. p. m. 263.

§. XXXIV.

Dantur præterea adhuc alia ex Marte præparata satis frequentis usus, ut *Extractum Martis cum succo pomorum; Electuarium chalybeatum; Pilula Martiales Sydenhamii, Tinctura Martis aperitiva tartarizata; Tinctura Martis cum succo pomorum; Tinctura Martis belleborata Wedelii; Tinctura Vitriol. Martis Zwelferi, & alia.*

§. XXXV.

Supereft martialium operandi modus, medenti rationali in usu omnium sanitatis præfidiorum cognitu necessarius, & quasnam vires medicatas in corpus humanum exferunt.

§. XXXVI.

Prius autem momentum hoc aggrediar, quæstionem moveo, cuinam *partes potiores* deferendæ, num *Martem crudo*, an productis ipsius ignis chemici sorturam passis? Sunt, qui Martem crudum non sine ratione multis extollunt laudibus, præferendo illum omnibus ipsis productis chemicis; uti etiam fertur, Martem crudum, ad in pulverem subtilissimum redactum Medici Lipsiensium celeberrimi quondam arcanum fuisse, quo curandis hominum morbis felicissimus fuerit. Huic quæstioni subnecto aliam; an nimirum *chalybs ferro præferendus*, nec ne? B. STAHLII sententia eo redit, quod pro majori abundantia $\Phi\lambda\omicron\gamma\iota\varsigma$ in chalybe, ipse etiam majori, & intimiore attenuatione gaudeat; ut adeo non modo major teneritudo, sed

fed & eo ipfo magis aperitivus, aut ad minimum longe mi-
nus & mitius adstringens effectus inde fequatur.

§. XXXVII.

Decantata fatis eft Martialium vis *aperiens & adstringens*. *Aperitione* agere videntur in fluida, *constrictione* in folida. *Aperitionem* abfolvunt, abforbendo & imbibendo, & quantumvis cicurando acida in humoribus obvia, ita, ut hac ratione particulas in coagulum miffas vinculis fuis laxent, & obftructions ab humoribus vitiatis caufatas, eos eliquando, expediant. Et fic aperire dicuntur. *Constrictionem* abfolvunt, fibrarum interftitiola, locula arctius ad fe invicem adducendo; & cum hac ratione illarum elater intendatur, constringere dicuntur.

§. XXXIIX.

Sed liceat, crifin medico-criticam, præeuntibus Viris B. D. STAHLIO, Ill. Dn. PRÆSIDE, aliisve, circa hunc *operandi modum* Martialium fubnectere. Primo quædam de *abforptionis* modo, & actu dicenda erunt. Eventu phyfico-chymicorum experimentorum conftat, inter *folvens*, & *folvendum*, *abforbens*, & *abforbendum* dari proportionem. Sic etiam fe res habet cum Martialibus ficcæ formæ. Abforptionis actum abfolvunt, abforbendo tantum certam abforbendi quantitatem; hoc factò, punctum faturationis attigiffe dicuntur. Cum itaque iisdem in via tam lata, ut in primis viis, præfertim duodeno; ubi magna sæpe diverfarum materiarum colluvies, in occurfum veniant varii humores, ubi pro bibula fua natura plenis hauftribus ingerunt; deinde per tam latam corporis rempublicam in tam varia collocantur loca; fequitur, quod non tantum pleno jam ventre, fed etiam centies, centies

C

divi-



divisa, cum præterea citra sanitatis læsionem larga, & magna dosi propinari haud possunt, ad locum adfectum allabantur. Hinc dubium ab iis juvamen.

§. XXXIX.

Constrictio vero Martialium, præsertim Salino-Martialium major est ipsorum apertione. Allapsus enim molecularum martialium non tantum ubique in omnibus corporis regionibus fieri potest, sed etiam principii salini ad ditamento adjuncta, in medicinam salubrioris effectus converti, aptiora evadunt.

§. XL.

Cautelarum clinico-practicarum in usu martialium observandarum neglectus, malam ipsis, medentium culpa, interdum adfricuit notam. Martialia enim terreæ substantiæ, ut limatura Martis, *penitus solvi in corpore*, haud patiuntur, sed semper pars quædam terrestris fixioris indolis, & solutioni haud obediens resistit, noxas sæpe paritura.

§. XLI.

Cautus etiam debet esse Martialium usus ratione effectus *adstrictorii*. Cum enim corpus nostrum compages sit vasorum majorum, minorum, minimorum, & capillarum myriadibus contexta; & adstringentium operandi modus sit, quod vasorum parietes versus axin cavitatis artius, adducant, hinc sequitur, quod præpostero, nimio, *axialiq;* eorum usu, humorum trajectus aut laboriosus efficiatur, aut penitus præcindatur, quæve inde finistrorum sibi invicem succedentium effectuum sequela, facile cuivis medentium peritorum perspicuum est.

§. XLII.

§. XLII.

Hoc non obstante, *rationalis*, & *evnuc* Martialis-
um usus medenti, spe boni, & exoptati effectus haud ca-
suro commendatissimus esse potest. Etenim motu toni-
cum adaugent; quo aucto potentiae motrices in fluida ex-
ercitae fortiores redduntur; hisce fortioribus redditus flui-
da per vasa vegetius feruntur, obstructions reserantur,
vitiosi & incarcerati humores latibulis suis dimoventur, &
quamplurima alia motuum *evnuc* pendencia obtinentur.

§. XLIII.

Martialium cum bonis agrorum rebus sumtorum si-
gna sequuntur hæc: *Pulsus percipitur major, & robustior,*
aspectus externus vividior redditur, & calor corporis adau-
geretur; facum iidem tinctura observatur, quippe quæ ni-
gredine tinguntur; ex cujus signi absentia concludendum,
Martialia intra corpus adsumta, in ventriculo remansisse.

§. XLIV.

Regimen sub usu Martialium observandum consistit
præcipue in *motu*, quo mediante martialia in speratos effe-
ctus deducuntur.

§. XLV.

Quod *dosis* Martialium attinet, haud integrum est;
ea largis dosibus exhiberi; sed dosis paucorum granorum,
& gr. XXX -- XL. conveniens judicatur.

§. XLVI.

Hæc sufficiant, Deum pro viribus clementissime con-
cessis gratias agens, eumque comprecatus, ut omnia hæc
in summi sui nominis gloriam cedere benignissime sinat.

F I N I S.

Mein

S Ein Bruder, Du hast schon in deinen ersten Jahren,
 Da, wo Du dieses Licht der Welt erblickt, erfahren,
 Was die, so Gold und Erz aus Berg und Klüften graben
 Vor Arbeit, Müß und Fleiß zu übernehmen haben;
 Von diesen hast Du Dir zum Unterrichte genommen,
 Wie man durch mehrern Fleiß zur Weisheit müsse kommen.
 Diß gab ein Beispiel Dir bis in die Nacht zu sitzen,
 Und kontest manchen Tag beyhm laboriren schwitzen;
 Da Du nun keine Müß und Fleiße hast geschonet,
 So wird die Arbeit auch aufs herrlichste belohnet;
 Nicht Eisen, sondern Gold, ja mehr hast Du gefunden,
 Drum wird Dir auch mit Recht der Lorbeer-Cranz gebunden.

J. G. F.

S Er einst ein guter Arzt mit Recht verlangt zu heissen,
 Der muß sich der Natur aufs möglichste beflissen:
 Er muß insonderheit drey Reiche wohl verstehen
 Sonst wird es jämmerlich mit seinen Euren gehen.
 Sie haben, Werther Freund, sich jederzeit beflissen,
 Der dreyen Reiche Krafft aufs deutlichste zu wissen;
 Drum kan ich Ihnen auch zum voraus prophezehen,
 Sie werden stets beglückt in Ihren Euren seyen.
 Mit diesen wenigen wolte seine schuldige Liebe
 an den Tag legen
 Arnold Otte Hoffmann,
 der Gottes-Gelahrtheit Bestüssener.

Utilis incumbit fulcris doctrina duobus
 Imprimis medicum postulat illa forum.
 Sunt ratio prudens ac experientia certa;
 Perdita res, quando deficit alterutrum.
 Qui ratione caret, demens empiricus audit
 Qui praxi, fallax is speculator erit.
 Felix & meritis ornandus laudibus ille,
 Jungere qui studio novit utrumque pari.
Hoc Tu fecisti, FINDEISEN! præmia sumas,
 Aurea sic praxis, ferrea nec Tibi sit.

*Applaudens honoribus academicis Clariss Dn.
 Candidati hæc vovet*

HENR. CHRISTIANUS ALBERTI.

01 A 6603

ULB Halle


3

003 092 291



1007







14.
DISSERTATIO INAUGURALIS CHYMICO-MEDICA,
DE

FERRO.

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſa Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequend

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS D
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

horis locoque consuētis

ANNO MDCCXXXVIII. D. OCTOBR.

Publicae ac placidae Eruditorum ventilationi subijciet

AUCTOR

JOH. CHRISTOPHORUS Sind-Eisen
FREYBERGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.